# DISPUTATIO MEDICA
*INAUGURALIS*
DE
# DYSENTERIA.

QUAM
SUMMO FAVENTE NUMINE,
*Autoritate Magnifici D. Rectoris,*
JOSEPHI SERRURIER,
Med. & Phil. Doct., Philoſophiæ & Mathematices
Profeſſoris Ordinarii,
NEC NON
*Ampliſſimi Senatus Academici conſenſu, & Nobiliſſimae*
*Facultatis MEDICAE decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime conſequendis,
*Eruditorum Examini ſubjicit*
OLIVIER COULT, BRITT.
*Ad diem* 31 AUGUSTI, *hora. locoque ſolitis.*




TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Academiæ Typographi. cIↃ IↃ CCXII.

# DISPUTATIO MEDICA
## *INAUGURALIS*,
### DE
# DYSENTERIA.

### THESIS I.

Dyſenteria definiri poteſt, cruenta alvi dejectio, cum dolore, torminibus, & inteſtinorum præſertim Craſſorum Ulceratione procedens; a Celſo definitur exulceratio inteſtinorum, dejectiones ramentoſas, cruentas & dolorificas inducens.

II.

Dividitur a Galeno in quatuor ſpecies. Quarum prima eſt, cum propter aliquam corporis partem præciſam aut vulneratam, ſanguis per alvum excernitur, vel etiam propter ſuppreſſam aliquam ſanguinis per alias partes evacuationem. Hujus exemplum videmus, ſi aliqua interna pars eſt dilacerata, vel quibus vulnus in abdomine inflictum eſt, ſanguinem, interdum per alvum excerni, ſimiliter, multi ſunt homines atque mulieres, qui ſanguinis fluxum per nares, uterum, periodice pati ſolitæ, ſi hujuſmodi viæ præcludantur, modo per vomitum, modo per ſeceſſum, veluti critice excernunt.

 Secunda

III.

Secunda ſanguinis fluxus ſpecies illa eſt, in qua ſanguis, Loturæ Carnium ſimilis ejicitur, hanc Galenus refert ad Hepatis imbecillitatem non valentis ſanguinem attrahere, melius, reducit Riverius, ejusmodi fluxum, qui vulgo Hepaticus dicitur ad veteres Hemorrhoides.

IV.

Tertium proponit, cum ſanguis melancholicus, niger & ſplendens per alvum deturbatur, quem vult propter nimiam in hepate aut liene moram, nigredinem atque uſtionem contrahere: Melius dicit Riverius hujusmodi ſanguinem ab Arteriis Meſaraicis eructatum, ab humoribus acidis, ut Atramentum a Vitriolo, tincturam nigram accipere, qui deinde excretus atram, bilem mentitur.

V.

Quarta ſanguinolentæ excretionis ſpecies eſt, in qua brevibus intervallis excrementa, cum pure & Materia Mucoſa permixta, ægri cum dolore & torminibus ejiciunt, quod indicat exulcerationes, modo majores, modo minores, pro ut affectus inveteratus, aut recens fuerit, in inteſtinis adeſſe; & hæc eſt cruentæ dejectionis ſpecies quæ proprie Dyſenteriæ nomine inſigniri debet & de qua nunc agendum incumbit.

VI.

Cauſa remotæ Dyſenteriæ ſunt. Aër externus calidus & humidus, particulis corroſivis repletus, aqua, pro potu ordinario, ſalina & inſalubris comeſtio fructuum acidorum fugacium & immaturorum, immoderatus uſus potus fæculenti.

VII.

Proximæ a materia accumulata in fiſtula inteſtinali, & ibi putreſcente, ob easdem cauſas ob quas aëri expoſita putreſcunt, vel derivata ab apertis Radicibus ductus Hepatici & Pancreatis ſolito patentioribus, ab impedita tranſpiratione inſenſibili, renali, aut ſimili, unde major liquoris au-

cti

ſti impetus, in latera orificiorum harum radicum ea diſtendit & quaquaverſum diſtrahit.

VIII.

Cauſæ etiam ſunt bilis abundantior & acrior, ſuccus pancreaticus acidus, humores ſeroſi, acres aut acidi, a maſſa ſanguinis per Arterias quæ inteſtina irrigant delati. Hi dum in magna copia in craſſa inteſtina ruunt, ea ſenſim exulcerant, a qua exulceratione vaſorum ora, aperiuntur, unde magnus ille ſanguinis tum puris proventus qui in Dyſenteria conſpicitur.

IX.

Tormina & dolores proveniunt ex eo quod Ulceroſa interius & excoriata inteſtina, jam ſenſibilia magis facta ſint, unde a pertranſeuntibus excrementis, bile aliisque humoribus irritantur, atque in corrugationes dolorificas cientur.

X.

Dixi inteſtina craſſa in Dyſenteria præcipue eſſe affecta, quoniam in apertis Dyſenterico affectu defunctorum cadaveribus, raro tenuia inteſtina affecta inveniuntur.

XI.

Ex dictis patet definitio nominata.

XII.

Signa Dyſenteriæ diagnoſtica facile ex ejusmodi definitione colliguntur; fæces enim ſanguine ipſis immixto colorantur, & pure vel pituita inteſtinorum tunicas obtinente perfunduntur, præterea tormina & dolores adſunt qui exasperantur dum æger alvum cupit deponere, propterea quod excrementa, tunc craſſa inteſtina pertranſeundo in quibus exulcerationibus factæ ſunt, non levem in ipſis irritationem ac proinde dolorem creant.

XIII.

Adſunt vigiliæ quia a dolore ſpiritus exagitantur; unde ægri ſomnum captare non poſſunt: ſitis etiam & cibi faſtidium Dyſenteriam comitantur.

XIV.

Febris plerumque, licet non ſemper, Dyſenteriam comitatur.

XV.

Prognoſis hujus affectus ita inſtituenda eſt, Dyſenteria quo vehementiora infert ſymptomata, eo magis periculoſa dici debet, quandoque ita benigna eſt, ægri facillime evadunt & curantur.

XVI.

Quibus excretio bilioſa, aduſta, ſpumoſa et fætida, cum ſtranguria, periculoſiſſima merito habetur, & funeſta, ſignificant enim ulcus profundum, inflammationem, imo mortificationem inteſtinorum.

XVII.

Vigiliæ immodicæ, ſanguinis excretio copioſa, mali ſunt ominis, quia vires multum atterunt unde æger debilior fit, & cauſæ morbificæ actioni ſuſtinendi impar. Lienteria, vomitus, ſitis cum ſingultu peſſima ſigna.

XVIII.

Omnis profluvii ventris eadem fere eſt cauſa & curandi Ratio, in dyſenteria mature ſecanda eſt vena ſi corpus fuerit plethoricum ut medicamenta aſſumpta poſſint facilius interea vires ſuas in inteſtino exercere.

XIX.

Curatio fluxum inhibentibus ſtatim inchoanda non eſt, ne retentus humor morbificus facta metaſtaſi, Periculoſos magis morbos inducat, ſed ea auſpicanda eſt primo ab evacuantibus per ſuperiora & inferiora, lenientibus & detergentibus, deinde conſolidantibus (& annitendum eſt ut reſtauretur perſpiratio inſenſibilis) tandemque fluxum cohibentibus.

XX.

Inter evacuantia præſtantiſſimum remedium eſt Epicuana a Piſone deſcripta, frequenter exhibita, quæ tamen in aliis pro-

profluviis ventris ceteris evacuantibus non præſtat.

XXI.

Uſus Theriacalium & Narcoticorum in hoc morbo poſt evacuationes debitas miros præſtat effectus.

XXII.

Clyſteres frequenter injici debent, iique variandi ut initio modo lenientes modo detergentes adhibeantur, ſpiritus vini cum Terebinthina in clyſtere exhibitus, quando urgent ſymptomata egregias habet virtutes ad abſtergenda ulcera & removendam inflammationem inteſtinalem.

XXIII.

Victus initio hujus, ut omnis morbi, tenuis eſſe debet, quapropter juſculis, oriza præparatis vel lacte caprino nutriendus æger.

XXIV.

Potus ordinarius ſit Ptiſana hordeata, vel orizata decoctum C. C. Philoſophice ppt.

XXV.

Ad affectus totaliter profligandos multi confugiunt cum bono ſucceſſu ad aquas minerales, ſed inter ultima Remedia præſtat, Mercurius dulcis cum opiato largiore manu & caute exhibitus, usque ad ſalivationem laudabilem.

Co-

# Corollaria.

I.

*Dyſenteriæ ſæpe ſunt contagioſæ.*

II.

*Profluvium ventris criticum ſiſti non debet.*

III.

*Profluvium ventris quæ ſiſti debet eſt ſymptomaticum.*

IV.

*Operatio opii in corpore humano eſt ſanguinis rarefactio.*

V.

*Ex rarefactione ſanguinis turgeſcunt Arteriæ quæ comprimunt nervos & inde ſomnus inducitur.*

VI.

*In febribus acutis magnus in praxi eſt cantharidum abuſus.*

VII.

*In Comate ſomnolento optimi ſunt uſus.*

VIII.

*Cortex peruviana aliis febrifugis præſtat.*

IX

*Articulationes oſſium bene diſtinguuntur in ſphæricalem & Cylindricam.*

# FINIS.